

¶.g. divinam illuminationem , amorem ac desiderium virtutis; ut fugiat Musicam , novellarum lectionem , amicitiam cum aliis , compressionem nasi coram graveolentia , aliaque adiaphora plura , utpote quæ omnia contrarientur abnegationi sui ipsius. CUBICULUM , a Salvatore mellitissimo nobis commendatum , in hac Theologia cordis illuc panditur , ut omnes ideæ , ad perfectionem spiritualem minus necessariæ , absolute & in solidum hinc exesse jubeantur , nulla que nullius rei naturalis , moralis aut œconomicæ consideratio amplius intromittatur , nullum judicium super ea formetur , nulla curiositas toleretur. En tibi Vacuum mysticum in cubiculo , ad quod CUSTODIAM CORDIS , a Davide commendatam , superstitione , nimis Pharisaico & eleætio cum excessu , detorquent.

D.

DEISMUS, non large acceptus, prout negationem divinæ provi-
tentiaæ , & huic confinia vagarum mentium præcipitia notat , & per
antiphrasin Atheismum potius insinuat , omnemque religionem eli-
minatum it ; verum sub notione pressiore sumptus , est Absolu-
tissimus vesaniæ humanae , ex creatore creaturam facientis , aut eun-
dem putantis esse principium internum , συστατικὸν , ac partem es-
sentialem cuiuslibet entis creati , seu mavis , esse unum tantummodo
ens , quod naturæ jam naturalis , jam naturatæ nomine veniat . Dip-
pelius quidem certe in Fato suo fatuo cum hoc Spinozismo etiam
Audæanismum combinat , delirans , Gott habe einen subtiles Cör-
per / oder unsichtbaren Körperlichen Grund aller Geschöpfe von
Natur in sich ; das sey die ewige Natur / und das object , das
Gott selbsten in sich habe / ohne welches er nicht einmal actiones
æternas thun könne . DENUDATIO tribuitur a rigidiorum harum
scholarum Antislitibus duntaxat occultis DEI filiis , quos ab Amicis
DEI sequestrant . Persuasum nempe sibi habent Magistri isti , quod
Amici Dei internam suæ mentis ascensionem cum proprietate quadam
possideant , suæque salutis æternæ desiderium alant , dum ipsam amo-
rosam ad Deum adhæsionem , tanquam optimum quoddam , eligant
atque amplectantur . Hinc etsi Deum , ceu summum Bonum , unice

dili-